



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies nonus et decimus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1925

De S. Alexandro Martyre Thessalonicae

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72556)

A

D

DE S. ALEXANDRO

MARTYRE THESSALONICAE

H. D.

TEMPORE
INCERTOS. Alexan-
dri varia
commemo-
rationes.

1. S. Alexandri Thessalonicensis non semel in opere nostro mentio facta est, sed obiter tantum quando ad dies 27 februarii, 13 et 14 martii huius sancti martyris memoria in hieronymianis occurrebat (1). Ex tribus illis martyrologii laterculis tertius retinendus est qui S. Alexandri natalem commemorat. Etenim die 14 martii inscriptus erat martyrologio orientali, cuius reliquias servavit epitome syriaca: Ἐν Θεσσαλονίκῃ Φρόντων μάρτυς καὶ ἕτεροι τρεῖς. Tres autem socios, quorum est Alexander, enumerat martyrologium hieronymianum. Qua de causa in fastis graecorum recentioribus dies 9 novembris eidem assignata fuerit (2) nos ignorare solemur. Re quidem vera in synaxariis ad diem 14 martii vel ad proximam 13 legitur elogium cuiusdam martyris Alexandri τοῦ ἐν Πέδρη (3), ita concinnatum ut nihil cum Thessalonicensi praeter nomen commune habuisse censeatur. Hagiographorum graecorum placita amplexi, de S. Alexandro in Pydna commentarium suo loco ediderunt nostri, additis Actis latinis (4) quae in codicibus Passio S. Alexandri martyris inscribuntur (5), locum tamen ubi passus est distincte non referunt: certatus est agone istum in medio Macedoniae et Thessaliae (6). Passionis latinae scriptor graecum exemplar secutus est, quod periisse dolemus. Eius tamen supersunt vestigia in synaxariis, et quidem in elogiis S. Alexandri Thessalonicensis ad diem 9 novembris. Epitomen valde succinclam edidimus e codice Sirmondiano (7). Multo maioris momenti ea est quam praebet menologium Basilii dictum. Hanc e celebri codice Vaticano graec. 1613, fol. 170, nunc damus, cum Passione latina conferendam.

Synaxa-
rium.

2. Μὴρὶ τῷ αὐτῷ θ'. Ἀθλήσις τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀλεξάνδρου τοῦ ἐν Θεσσαλονίκῃ. Ἀλέξανδρος ὁ μάρτυς ἐπήρχεν ἐπὶ Μαξιμιανοῦ τοῦ βασιλέως· καὶ κρατηθεὶς ἠναγκάσθη θῆσαι τοῖς εἰδώλοις. Ὁ δὲ μὴ πεισθεὶς ἀλλὰ μᾶλλον θείῳ ζήλῳ κινήθει καὶ ἰδὼν τὴν τεράπεζαν τῶν θυσίων ἰσταμένην, ὤρμησε καὶ τῷ ποδὶ κρούσας, ἀνέτρεψεν αὐτὴν καὶ τὰς θυσίας ἐξέχεε. Καὶ ὀργισθεὶς ὁ Μαξιμιανὸς ἔδωκε τὴν κατ' αὐτοῦ ἀποφασιν τοῦ διὰ ξίφους ἀποθανεῖν. Καὶ λαβὼν αὐτὸν ὁ σπεκουλάτωρ καὶ ἐκβαλὼν τὸ ξίφος πρὸς τὸ ἀποκεφαλίσαι, ἴστατο ἐκπεληγμένος. Καὶ εἶπεν ὁ βασιλεὺς πρὸς αὐτόν· « Τί ἐστῆκας καὶ οὐ πληροῖς τὸ

προσταχθῆν σοι; » Ὁ δὲ ἔφη· « Ὁπτασίαν θεωρῶ καὶ εἰμι ἔντρομος. » Αἰτησάμενος δὲ ὁ ἅγιος ὄραν προσηνῆς καὶ λαβὼν ἠῤῥατο· καὶ εὐθέως ἐπλήγη ὑπὸ τοῦ σπεκουλάτορος. Εἶδε δὲ ὁ βασιλεὺς τέσσαρας ἀγγέλους ὀρμιζέοντας τὴν ψυχὴν τοῦ ἁγίου. Καὶ διὰ τοῦτο δέδωκε τοῖς αἰτησαμένοις θάψαι τὸ λείψανον αὐτοῦ ἐν πόλει Θεσσαλονίκῃ.

3. Tum Acta illa quae a synaxaristis compendio traduntur tum latina quae Alexandro Pydnensi assignata sunt non quidem ex eodem exemplo sed uno tandem fonte graeco fluxisse non est cur multis demonstretur. Utrumque enim eodem regnante imperatore, eandem ob causam, similibus plane adiunctis, pari quoque supplicio interemptus est martyr eiusque corpus ab imperatore penitentibus concessum, Thessalonicae conditum est. Erant ergo Acta illa latina Alexandri Thessalonicensis, non Pydnensis, si tamen alter ab altero secernendus est, quod nobis saltem non videtur. Etenim si hagiographo hac in re fides est, Alexander sepultus quidem est Thessalonicae, alio tamen loco passus. Quidni Pydnae? Esto plane diversa fuerint gesta martyris quae ad diem 14 martii exerpserit synaxarista ab iis quae 9 novembris adhibuit. Ex his enim id unum colligitur sententiam de binis Alexandris in Macedonia passis saeculo X antiquior esse. Unum solum fuisse, Thessalonicensium veneratione clarum, nobis probabile est.

Unus
videtur
Alexander
Pydnensis

E

4. Templum erat Thessalonicae, ναὸς ἀστῆος καὶ οὐκ ἀνάξιος λόγον, teste Eustathio episcopo (8) sanctis Alphaeo, Zosimo et Alexandro dicatum. Hos autem sanctos martyres fratres fuisse asserit idem Eustathius, fabros ferrarios Calyti in Pisdia natos. Et Calytenorum quidem martyrum laudationem conscripsit, quorum gesta trinis in libris se legisse asserit. Sed, quod sane mireris, in ipsa oratione nulla praeter Marci, Niconis, Neonis, Heliodori nomina profert, quae proinde sola in martyrum gestis reperisse videtur; ceteros communi appellatione Calytenos vocal; de Alexandro, Alpheo, Zosimo ne verbum quidem. Alexandro non Calyteno sed Thessalonicensi cum ceteris ecclesiam dedicatam fuisse eundemque hanc ob causam ab Eustathio Calytenis male annumeratum non inanis coniectura est.

et Thessa-
lonicensis.

F

(1) Act. SS., Febr. t. III, p. 676; Mart. t. II, pp. 262, 346. — (2) Synax. Eccl. CP., p. 208. — (3) Ibid., p. 535. — (4) BHL. 280. — (5) Ita in codicibus Bruxellensi 207-208, fol. 146v; Fartensi

29, fol. 136; Eporediensi 112, fol. 66. — (6) In codicibus quibus usi sunt nostri legebatur Thessalonicae. — (7) Synax. Eccl. CP., p. 208. — (8) BHG. 63, n. 3.

DE